



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. De vniuersalitate vocali, & sensibili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

ceptus noster esse æquipollenter copulatiuus, ac dis-
iunctiuus. Dices, eum actum simplicem, *homo*,
æquivalere huic actui disunctiuo, *vnus homo, vel
plures*. Contra tamen sic arguo. Non est, cur potius
ei actui disunctiuo, *vnus homo, vel plures*, quam
huic copulatiuo *vnus homo, & plures*: sed huic pos-
teriori non æquipollet: ergo nec priori: probatio
maioris: sicut homo verè est vnus, vel plures, ita
etiam est vnus, & plures; vnus per intelle-
ctum, & plures à parte rei, quod Recentiores nobis
aduersarij minime considerarunt: non est ergò, cur
simplex ille actus, *homo*, æquiualeat huic actui dis-
iunctiuo, *vnus homo, vel plures*, quam huic copula-
tiuo, *vnus homo, & plures*,

142

Affero septimò, & postremò. Per notitiam apprehensiuam, iudicatiuam, & discursiuam fit vniuersale. Huius assertionis probatio ex dictis sparsim toto hoc cap. est colligi facilis. Per notitiam abstractiuam efficitur vniuersale, sed triplex operatio intellectus hominem v. g. abstrahere, ac præscindere potest ab inferiorum suorum multitudine, ac numerositate, vt constat in hac apprehensione, *homo*, in hoc iudicio, *homo est animal rationale*, in hoc discursu, *homo est suapte natura risibilis, sed risibile est rationale: igitur homo est risibilis*. Rursus possumus hominem vnum formaliter, & extrinsecè, nihilominus reipsa, & intrinsecè esse quid multiplex, & in Petro, ac Paulo, & cæteris diuersum apprehendere, iudicare, & discursu aliquo complecti: sed cognitio comparatiua in vnitatem, & multipliciter hominis ita proficiens eum vniuersalem efficit: vis ergò vniuersalis effectiua tribus illis operationibus intellectus conuenit.



TRACTATUS VI.

De aliis speciebus vniuersalitatatis
intentionalis.

CAPVT I.

De vniuersalitate vocali, & sensibili.

QUOD ad priorem attinet, arbitror per actus facultatis elocutiua, siue per voces externas vniuersale fieri. Probatur assertio: nam vox est vniuersalis in significando, vt certo certius: hanc igitur vniuersalitatē in obiectum refundit, illudque vniuersale in essendo reddit, haud secus, ac conceptus interior vniuersalis in significando vniuersalitatē suam in obiectum reicit. Rursus vox immediate significat plura, non vt plura, sed vt positivè vnum: ea igitur confundit, & adunat, quemadmodum eadem de causa cognitio interior illa vnit, & confundit: antecedens est perspicuum, quia hæc vox homo significat collectionem hominum, vt conceptam, & cognitam conceptu respondente huic voci, *homo*, vt indubitatum: est hominum collectio prout ita concepta, & cognita est vna, & non plures: ea ergo vox plura vt vnum significat. Tandem probabile est, voces etiam verè, & propriè definire, ac diuidere, vt in loco manet ostensum: definitio autem, & diuisio sunt vniuersalia: hæc ergo prout à singularitatibus abstracta per voces at-

tinguntur, ac per eas adeo efficiuntur. At obiicies Damascenum de Incarnat. cap. 2. vbi sic ait: *Commendandi sunt nostri temporis dialectici, imò dialectice heretici, qui quidem non, nisi statum vocis putant esse vniuersales substantias*: voces ergo ab vniuersali videtur excludere. Sed nihil minus: aliud enim est, voces constituere vniuersale in essendo velut formas, aliud esse vniuersale in essendo tanquam subiecta eius denominationis: illud prius nos solum contendimus: posterius autem Damascenus; tantumque eos impetit, qui extra voces nihil vniuersale dicit, aut fieri posse, existimarunt, vel certè sunt existimasse visi.

Quod attinet ad vniuersalitatē sensibilem, nullum sensum externum, aut, quod plus est, etiam internum efficere posse vniuersale saltem ex natura rei, & citra miraculum, docent B. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 3. Suarez de anima lib. 4. cap. 3. dub. 3. Fonseca 5. metaph. cap. 28. sect. 2. Idem colligitur ex Gregorio in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 2. & Agid. tom. 1. de beatitud. lib. 4. quæst. 1. art. 3. & tom. 3. lib. 4. quæst. 12. art. 6. ac Valentia 1. p. disp. 1. quæst. 12. punct. 8. Albertino quæst. 1. Theolog. ex primo principio philosophico num. 2. Comptono disput. 25. log. sect. 2. & 3. & Salas tom. 1. tract. 2. disp. sect. 1. Longius progreditur P. Balthazar Tellez, ac disp. 4. log. sect. 3. censet, nullum sensum externum, interumvè etiam diuinitus posse moliri vniuersale. At per sensum etiam externum fieri posse ex natura rei vniuersale, docent Hurtadus disp. 5. metaph. sect. 12. & Arriaga disp. 6. log. sect. 7. Quod verò attinet ad sensum internum vniuersale per illum naturaliter posse cognosci, & effici, tradunt Gervasius de ordine productionis notitiarum fol. 15. & 16. Scaliger exercitatione 34. in Cardanum disp. 22.

Dicendum primo censeo, nihil naturaliter fieri, aut denominari posse vniuersale per sensum vllum externum. Suadetur primo: quoniam ratio communis albedinis v. g. non solum existens, sed etiam existentia destituta, ac tantum possibiles complectitur: at visio externa nostrorum oculorum nequit naturaliter attingere quiddam non existens: ergo nec rationem communem albedinis: illam igitur nequit abstrahere, aut vniuersalem efficere, aliàs eam attingeret. Rursus Aristoteles 1. metaph. cap. 1. sic fatur: *experientia est rerum singularium, ars vniuersalium*, at omnis sensus, saltem externa est experimentalis, ergo singularium. Ibidem etiam postea sic habet *nullum sensum sapientiam esse existimamus, quanquam hæc maxime propriè sunt cognationes singularium*: vbi sensationes ad minimum externas asserit esse cognitiones singularium. Idem tradit 3. de anima cap. 4. text. 7. Hæc autem testimonia Philosophi, vt insinuat, intelligenda sunt de sensu externo, quidquid sit, an sensus internus sit excipiendus ab Aristotelica regula, an vè is ratione suæ perfectionis haud sustineat illigari obiectis duntaxat singularibus. Tum sic: sensus omnis externus iuxta Aristotelem est ex natura rei circa naturas singulares: ergo non circa vllum vniuersalem: hanc ergo non cognoscit, adeoque non efficit: haud enim ea prout talis, nisi cognoscendo potest effici.

Obiicies tamen primò. Omnis sensus externus est circa suum obiectum formale: at cuiusvis obiectum formale, ac specificatum est quiddam vniuersale, non verò singulare, v. g. vitus color, non verò albedo, & multo minus hæc albedo: nullus igitur sensus non percipit vniuersale, nullus id non efficit:

efficit: vt enim dictum est, id percipere saltem directe, & illud efficere recidunt in idem. Obijcies secundò, & paulò aliter. Albedo v. g. in communi & vniuersaliter sumpta est vere, & proprie albedo: fortitur enim definitionem albedinis, scilicet esse disgregatiuam visus: imò eiusmodi definitio ei soli conuenit primario, atque ab ea ad singulares descendit albedines. At visus noster cognoscere potest omne id, quod est absolute albedo & rationem communem eius ab hac, & illa abstractam percipit, siue perceptam abstrahit, & vniuersalem efficit. Tertio vniuersale fieri potest, & solet per abstractionem vti explicatum manet ad finem tract. præcedentis: at sensibus externis conuenit vis abstrahendi vnum ab alio: nam visus noster abstrahit colorem à sapore, & illum sine hoc percipit: quin etiam, quod plus est, vnum formalitatem ab alia secum realiter identificata præscindit v. g. quidditatem albedinis, eiusque vim disgregatiuam ab illius dependentia radicali à Deo Optimo Maximo, vti ostenditur in Metaphys. lib. 2. tract. 4. cap. 8.

5. Quartò: idcirco actus intellectus nostri efficit vniuersale, quia est confusus, & Petrus v. g. à Paulo non distinguit: at etiam visio nostra haud rarò est confusa, actalis, vt vnum colorem ab alio non distinguat, nec, an albedo procul obiecta sit eiusmodi, vel potius alius color medius, discernat: Hoc pacto colores iridis quatenus se contingunt, & penes eorum extrema, consiniumque minime distinguimus, vt bellè decribit Poëta.

*Sed nunc diuersi vident cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.
Vsq; adeo quod tangit idem est, tamen vltima
distant.*

Id ipsum egregiè declarat Seneca lib. 1. natural. quaest. cap. 3. super eadem carmina: *Videmus in eo* (scilicet in arcu caelesti) *aliquid flammæ, aliquid luctus, aliquid carulei, & alia in pictura modum subtilibus lineis ducta, vt ait Poëta, vt an dissimiles colores sint, scire non possis, nisi cum primis extrema contuleris: Nam commissura decipit: vsque adeo mira arte natura, quod à simillimis cepit, in dissimilia desinit.* Quinto denique, ac paulò aliter. Totum solem v. g. omnesque eius partes videmus: & tamen multo minor nobis apparet, quam est in se: est enim in se maior tota telluris mole, vt ex eo colligunt astrologi, quod umbra illius à terra incipiens sit conica, ac talis. quæ nunquam peruenire possit ad stellas fixas, easve opacare: signum igitur est, visum nostrum eius partes inter se confunderè. & cum sint centies sexagesies sexies, & amplius plures, ac maiores toto terræ ambitu, eas tamen perinde cernere, ac, si non essent totidem, sed longe pauciores: quæ ergo ratione cognitio intellectuua habet vim efficiendi vniuersale, quia potest plura ita percipere, vt ea non discernat, nec dilucidet, eadem etiam visio nostra poterit moliri vniuersale.

6. Ad primum argumentum horum respondeo: in primis obiectum formale, ac specificatiuum visus verbi gratia quoad eius actus in communi, esse colorem itidem in communi & vniuersaliter sumptum: ceterum illius penes hanc singularem, ac destinatam visionem formale obiectum haud esse colorem vniuersaliter, sed potius singularitater sumptum: ex priori autem hoc tantum sequitur, visionem in communi percipere rationem communem, & vniuersalem coloris, quod, re ad vium resecta, nihil aliud est, quam visiones existentes cognoscere colores particulares, & existentes, quæ autem sunt possibiles posse percipere colores singulares in po-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

tentia manentes, si quando videlicet ab ea ad actum reducantur: hinc autem quid egeris aduersus nos? iam verò ex posteriori id tantum consequens est, vt nulla visio in particulari possit ad vniuersale ferri, illudve efficere.

7. Aliter respondeo, visus v. g. quomodolibet sumpti obiectum formale esse rationem vniuersalem, & communem coloris. Cæterum haud propterea opus, vt sensus ille percipiat omnes colores in ea ratione comprehensos, omnes, inquam, simul, & collectiue sumptos, sed satis est, vt quemlibet diuisiue, & seorsim ab alio: quando autem actus efficiens vniuersale plura debet obiecta, vel potius omnia eam subeuntia denominationem necessariò attingere, certè visus noster nullo actu suo efficere poterit vniuersale. Et quidem sensum oculorum haud debere, haud etiam posse ferri in suum obiectum ex toto, & collectiue sumptum, satisque esse, vt ferri possit in illud diuisiue sumptum, exemplo liquet facultatum physicarum. Ignis enim v. g. terminus, atque, vt sic dicam obiectum est calor in communi nullum non cohibens: at vi sua calefactiua non sustinet omnem calorem simul, & collectiue producere: Id siquidem esset, eius virtutem haud esse limitatam, sed potius finitum omnium expertem ac nesciam: proinde tantum obiecti, siue termini sui: quamlibet partem, vel certè aliquas in singulari potest efficere.

8. Ad secundum similiter respondeo; quod albedo in communi, & vniuersaliter sumpta sit proprie albedo, tantum arguere, eam percipi à visione etiam in communi, non vero ab vlla singulari, ac destinata. Hinc est, visum nostrum haud efficere albedinem vniuersalem: tum, quia ad molimen vniuersalis opus est, vt aliquis actus intrinsecè, & proprie vnus plura attingat, eisque vnitatem impertiat: visio autem in communi haud est, nisi extrinsecè, & improprie vna: quid ergo mirum, si sit ad fabricam vniuersalis insufficientis? tum etiam, quia visio in communi; & vniuersaliter sumpta haud percipit verè, & proprie rationem communem coloris, vltimè obiectum: actio enim videndi, & quæuis alia strictè loquendo est singularis alicuius, nec exerceri potest, vt quod, vel vt quo per causam, causalitatemve mere vniuersalem, vt omnibus est explicatum iuxta doctrinam Aristotelis lib. 1. metaph. cap. 1. hoc ergo etiam ex titulo ratio communis visionis haud efficit vniuersale, eavè mediante visus, cuius est propria: tum denique, quia aliàs omnis facultas, quamuis multis bruta, & insensibilis, par esset vniuersali: siquidem nulla non continet actionem aliquam in communi sumptam, media qua quodammodo respiciat terminum illum, à quo speciem suam haurit.

9. Quapropter, vt ingennè hoc fatear, quod dici consuevit, & à nobis etiam in superioris argumenti vtraque solutione suppositum est, visus v. g. obiectum esse vniuersale quoddam, nempe rationem communem coloris, id intelligendum nequaquam est propria ratione, aut in actu exercito, vt indicat B. Thomas 1. 2. quaest. 29. artic. 6. Nam, si sermo sit de hac, aut illa eius visione mediante alterutra solam attingit rationem singularem coloris: in autem de ratione communi visionis, nulla actio intentionalis, nulla tendentia strictè ei potest assignari, nedum ea, qua à differentiis indiuiduantibus more spiritalium actuum abstractionem faciat, rationemque aliquam vniuersalem latissimè, & infinitè sumam percipiat, & ad vnitatem redigat. Ast, vt dictum est, in actu signato obiectum visus est vniuersale, quia collectio singularium, in qua prout duntaxat

A a talia

alia ferri potest, significari solet à nobis exterius vocabulo communi, & interius cognitione vniuersali: Nec mirum est, vniuersalitatē rei quatenus cognitioni, & locutioni nostræ obicitur, attribui quodammodo visui, quasi etiam hic videatur tendere in eam prout vniuersalem, cum tamen eiusmodi tendentiā procul habeat: nam ita etiam intellectus, & imaginationis nostræ alij errores haud pauci tribuuntur visui, qui tamen errandi incapax est, & rem non, nisi vt est in se concipit, alias aliquid non existens cognitur: de quo vide dicta à nobis superius tract. 5. c. 10.

10 Secunda solutio secundi argumenti potest esse, quæ paulo supra in simili tradita, quod nimirum albedo in communi sit propria albedo, hoc tantum concludere, visum nostrum eam percipere, non collectiue sumptam, & penes omnes eius partes, sicut ad efficiendum vniuersale oportet, sed diuise solum, & penes quamlibet eius partem. Quod si istas, eam etiam collectiue, & ex toto sumptam esse albedinem: ita ergo potest visui nostro subiici; respondendum est, non omnem albedinem absolute sumptam posse à nobis videri, vt claret in ea, quæ valde distat, & est Romæ v.g. ac multo maxime in ea, quæ nondum est producta: requiritur ergo ad videndam albedinem, non solum, vt ea sit absolute, & essentialiter albedo, verum etiam, vt sit existens, necnon intrinsecè, & proprie vna, vel certe supra vnitatem rara admodum, & non in infinitam quandam numerositatem diffusa: vtraque autem conditio deest rationi communi albedinis: quid mirum ergo, si naturaliter ea nequeat oculis nostris percipi?

11 Ad tertium argumentum contrarium respondeo, visum nostrum abstrahere posse vnum ab alio, tum etiā, quod plus est, sola ratione ratiocinata diuerso, dummodo tamen id, quod ita abstrahendum est, sit proprie vnum, ac reuera existens; fecus vero, si vnitatem illa, & existentia sit destitutum: eis autem destituitur quæuis ratio vniuersalis: proinde hæc sub visum nostrum non cadit.

12 Ad quartum respondeo, quotiescunque color aliquis procul positus est, aut, si non multum distat, quoties nobis apparet sub luce, vt aiunt maligna, eoque tempore.

Quod tu, nec tenebras, nec posses dicere lucem, Sed cum luce tamen dubie confinia nobis.

Potentiam visiuam eum discernere à quocunque alio, & cum nullo confundere, quamuis aliter illa nobis videatur tendere, eo scilicet, quod confusio, & indiscretio colorum, quam visio imperfectioris suæ gratia deriuat in imaginationem, & intellectum, cum in his solis sit, visui tamen attribuitur, vt nuper citato tractat. 5. huius libri cap. 10. in simili manet explicatum. Quod autem visus non sit, qui eo euentu confundit, sed imaginatio, aut, vt mauult Suarez lib. cap. ac dubio supra laudatis ac num. 18. ad secundum, solus intellectus, in primis constat: quia, alioqui visus cerneret rem non existentem: secundo quia aliàs visus noster clarissimè conspiciens albedinem efficeret eam vniuersalem, ac speciem: siquidem eam quoad indiuiduationem non discerneret ab alijs: etenim si Deus, illam cum alia prorsus simili supernaturaliter commutaret, eive aliam omnino parem substitueret, nos eius vicissitudinis essemus ignari, nec rationem reddere possemus, an albedo denuo nobis obiecta esset diuersa à pristina; haud fecus, atque quando aqua sensum, & imperceptibiliter labitur, an sit quouis momento diuersa, & alia, atque alia, nos latet, ipsius-

que fluminis more præterit, vt bene Arriaga vbi supra.

Ad quintum, & vltimum respondeo, solem nobis minorem apparere, non, quod partes eius visus noster confundat, omnes vè velut, si pauciores essent percipiat, sed, quod pleræque earum illius aciem subterfugiant, ab eaque non cernantur: quæ est enim solis longinquitas, aut species ab eo ad oculos, non, nisi imperfecta, ac debiles veniunt, vel, si nullæ sunt species, radij visuales contra ab oculis ad solem diffusi, haud nisi imbecilles, ac fracti reuertuntur: vnde vis specierum illarum, aut, si mauis, radiorum non potest elici visio, nisi aliquarum, earumque paucissimarum solis partium: quænam autem eæ sunt, si non sit potior ratio vnarum, quam aliarum: Dei erit determinare, sicut alioqui conluescit. Sic certè quadrata procul sita nobis rotunda apparent, quoniam eorum anguli nostrum visum latent, vt docent Lucretius lib. 4. Alexand. Aphrodisiens lib. 1. problem. quæst. 35. & communiter alij philosophi. Fac tamen, omnes Solis partes, vtique extimas à nobis videri: quod fateor haud improbabile. Certè sol, cum visui nostro totus appareat, quæ ei minor, quam est in se, potest representari: equidem hæc duo inter se repugnant, vt quæ maxime. Soli ergo intellectui, aut imaginationi, minor, quam est in se apparet Solis ambitus. Cum autem in has potentias error huiusmodi dimanet à visu, & imperfectione illa, qua solares partes (tametsi omnes, atque vt sunt in se) conuertitur, inde est, quod intellectus putet visum etiam hallucinari, & errare, vt sæpe in superioribus monitum.

14 Secundò dicendum censeo, sensum externum diuinitus eleuari posse, vt rationem communem à differentiis particularibus abstractam percipiat, eamque adeo vniuersalem efficiat. Namque si non posset, potissimè, quia non sustinet euehi ad percipiendam non existentia, qualia multa, imo pleræque complectitur quoduis vniuersale. At sensus etiam externus per miraculosam, & supernaturalem eleuationem potest percipere aliquid non existens: ergo, &c. Maior ex dictis in nostræ sententiæ promento constat. Minor suadetur, quia haud magis requiritur ad visionem externam alicuius obiecti huius existentia, quam extensio quantitatiua, & localis, siue vbiatio circumscriptiua, merito cuius habeat partes suas extrà alias inuicem in ordine ad locum. Quamuis enim Okamus, Gabriel, & Maior oppositum tueantur; at à cæteris Philosophis, ac Theologis exploduntur, & merito. Sed visus externus potest diuinitus eleuari ad percipiendum obiectum aliquod vbiitate circumscriptiua destitutum; corpus Christi verbi gratia in Eucharistia definitinè existens, & quoad omnes suas partes in indiuisibili situm: vt docent Beatus Thomas in 4. dist. 10. quæst. vnica art. 4. quæstiuncula 1. ad 1. Marsilius quæst. 7. art. 1. Scotus quæst. 9. Dominicus Sotus quæst. 1. art. 7. Alexander 4. part. quæst. 10. membro 7. art. 3. §. 8. Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 191. cap. 2. Similiter ergo poterit eleuari sensus externus ad percipiendum quidpiam non existens.

15 Deinde suadetur eadem minor argumenti nostri: quia haud est magis impossibile Deo efficere, vt oculi albedinem v.g. non existentem, nec præsentem cernant, quam præstare, vt non conspiciant albedinem coram positam, & existentem, idque, quin mens eos nimia aliqua attentione diuertat, aut obscuritas vlla eos obumbret: posterius autem est iuxta omnes in potestate creatoris: ergo & prius. Tertio denique suadetur illa minor principalis: nam multoties

multoties miraculosè contingit, Christum aliquibus in Eucharistia apparere sub specie pueri, aut carnis, aliis verò sub specie panis: tum autem colorem, ac figuram pueri, carnisuè minimè existentem apparere necessum est: ergo, &c. Maior indubitata est. Minor suadetur, quia B. Thomas 3. part. quæst. 76. art. 8. docet in his euentis nullam fieri mutationem in obiecto; solam immutari potentiam visuam: idem tradit ibidem Suarez, & ceteri interpretes: quod si color, & figura pueri existerent, atque à Deo producerentur breui eo tempore, quo durat apparitio, certè mutatio fieret, non in solis videntibus, sed in re ipsa visa, quæ à possibilitate ad actum esset translata, omnipotentis virtute creatoris: secundo, quia, si videtur color, ac figura existens, cur omnes adstantes tunc non vident, quod aliqui? an duplex miraculum absque necessitate adstruendum est, alterum resplendens in productione figuræ puerilis, aut carneæ, alterum in eo, quod non videatur, quamuis sit coram posita?

16 Obiicies tamen primò. Visus noster (par autem ratio aliorum sensuum) non potest diuinitus euehi ad percipiendum aliquid, quod sit extrà latitudinem obiecti sui connaturalis: at obiectum eius connaturale iuxta superius disputata est singulare, & consequenter vniuersale quoduis est extrà latitudinem obiecti, quod naturaliter respicit: nequit ergo supernaturaliter eleuari ad percipiendum vniuersalem colorem: maior suadetur: non potest euehi ad percipiendum Deum, vt sentiunt plerique Theologi præsertim verò Molina 1. part. quæst. 12. art. 3. Suarez tom. 1. in summ. tract. 1. lib. 2. cap. 6. Vasquez 7. part. disput. 40. cap. 2. Arrubal 1. part. disput. 18. Agidius de beatitud. tom. 1. lib. 4. quæst. 5. art. 3. at non alia de causa, nisi, quia Deus est extrà sphaeram obiecti naturalis potentie visuæ, &c., nec est color, nec lumen: cuius signum est, quod intellectus noster Deum naturaliter cognoscens tametsi confuse, eumque ita saltem tanquam obiectum respiciens possit supernaturaliter illum videre, & clare attingere: Ergo &c.

17 Respondeo primò, sensum externum eleuatum ad vniuersale cognoscendum non propterea ferri extrà latitudinem sui obiecti naturalis, sed potius manere intra illam, eamque totam non attingere: Cum enim sensus exterior, v. g. visus hanc albedinem, siue hunc colorem percipit, certè per modum vnius singularitatem, & gradum genericum, siue specificum cognoscit: eum ergò supernaturaliter eleuari ad percipiendum solum gradum specificum, aut genericum non est, eum ferri extrà latitudinem sui obiecti naturalis, sed potius infra illam sistere, & non cognoscere totum, quod naturaliter solet, quemadmodum si diuinitus conspiceret visus colorem sine luce, hoc non esset eum vagari extrà suum obiectum naturale, sed potius intra eius limites sese continere.

18 Respondeo secundo, visum nostrum diuinitus eleuari posse ad videndum aliquid, quod eius non sit obiectum connaturale: haud enim ex natura rei potest ei obici lux supernaturalis ordinis, vbi talis sit quoad substantiam, & non quoad modum distantiarum: aut diuinitus percipit eiusmodi lucem, si, vt valdè probabile est, vtque docent Sotus in 4. dist. 49. quæst. 15. & affecta, atque ex nostris Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. disp. 14. sect. 14. num. 109. Suarez, & alij, lux corporum gloriosorum sit supernaturalis prædicta ratione, & ne quoad substantiam naturalis. Porrò aliud est, visum nostrum non posse diuinitus videre Deum, quia nequit naturaliter eum etiam imperfe-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

ctè attingere: aliud verò, si ita naturaliter eum attingeret, fore, vt eleuatus posset illum videre, sicut in intellectu nostro vsuuenit. Posterius verissimum est, nec ab vilo negari potest, vt exponemus in met. lib. 2. tract. 4. cap. 8. parum ante medium. Prius verò nescio, an adeo certum sit, anve communiter supponatur ab omnibus, aut certè plerisque Theologis more posterioris. Certè posterius sine priori satis, superque est ad hoc, vt sit aliqua ratio, cur intellectus possit eleuari ad videndum Deum, quæ quidem non procedit in visu nostro corporeo. Ratio ergò positiua, vt aiunt, quapropter oculi corporis nostri nequeant supernaturaliter euehi ad clarè Deum contuendum est, quia cognitio rei spiritualis est essentialiter intellectio, quemadmodum sensus externa coloris est suapte natura, ac definitione visio, soni auditio, &c. Constat autem, visum nostrum haud magis eleuari posse ad intelligendum, quam belluam discursu, ac ratione destitutam addiscendum, seu ratiocinandum.

19 Obiicies secundo. Non potest oculus corporeus eleuari ad percipiendam rem, non quantitatiuè, & localiter extensam, sed potius ad punctum spatij redactam, tametsi aliter affecta, & extensione sua locali prædita sit eius obiectum connaturale. V. g. nequit diuinitus percipere corpus Christi in Eucharistia: ita Capreol. & Paludan. in 4. dist. 10. q. vlt. Richardus ibid. q. 2. a. 5. Hispalensis q. 1. a. 3. ad 6. contra 5. conclus. à fortiori ergò nequit per miraculum cernere rem non existentem, & vniuersalem, quamuis quandò existit, ac datur in singulari ei sit naturaliter subiecta; siquidem non minus, imò magis requiritur ad videndum, quod res visibilis existat, quam, quod sit extensa, & localiter circumscripta. Consequentia igitur est perspicua. Suadetur antecedens: visus corporeus nequit euehi ad videndam rem spiritualem, ergò nec ad conspiciendam rem materiale indiuisibiliter, ac more rei spiritualis existentem: vtriusque enim par videtur esse ratio.

20 Verum respondeo negato antecedenti cum iis Doctoribus, quos pro sententia id negantium laudauit paulo supra. Ad eius probationem dicendum est, modum illum existendi indiuisibilem quantitatiuè, seu localem definitionem rei materiali esse accidentalem, illiusque non variare essentiam aut quidditatem, nec tollere, quominus sit suapte natura colorata, & hic, vt aiunt, & nunc, luce illius: nihil mirum ergò, si in eo statu videri possit supernaturaliter, haud secus, atque ex natura rei ante illum. Alia est ratio rei essentialiter, & quidditatiuè spiritualis: vt enim materialis, aut coloris, lucis uè idoneum subiectum ne diuinitus esse potest, ita neque oculo corporeo cerni.

21 Tertio dicendum censeo, phantasiam, id est sensum quendam internum (hunc enim, illamque in tota hac controuersia iuxta habeo) cognoscere, adeoque efficere posse, saltem supernaturaliter vniuersale. Hæc assertio suppositis iis, quæ de sensu externo disseruimus, nihil habet difficultatis. Quarto denique probabile arbitror, sensum internum etiam ex natura rei, ac citrà miraculum posse cognoscere vniuersale, illudque, quod consequens est, moliri. Suadetur assertio: nam idè potissimè id nequit naturaliter sensus externus, quia non potest cognoscere res non existentes, quales, & quidem non paucas omne amplectitur vniuersale: sed sensus internum iuxta Aristotelem & omnes philosophos res præteritas, & existentia destitutas memoria comprehendit: ergo &c. Deinde secundo suadetur: quia satis probabile est, phantasiam inesse species, quas vocant

A a 2 infensa

inensatas. quibus nimirum obiecta sensibus exter-
nis imperceptibilia percipit: cuiusmodi sunt in oue
v. g. species illa, quibus inimicitiam cum Lupo ap-
prehendit: quanquam ergo sensus externus haud
cognoscat, efficiatvè vniuersale, id tamen perfectio-
nis interno sensui quorsum sit denegandum?

22 Aduersus hanc assertionem postremam obiici pos-
sunt in primis ea loca Aristotelis, in quibus adstruit
sensum suapte natura esse singularium: at phantasia
est propriè sensus, & non intellectus: naturaliter
ergo sola attingit singularia, & nullum vniuersale.
Verum paulò suprà Aristotelem de sensu externo.
Secundo obiici potest Augustin lib. 2. de libero arbi-
trio c. 8. vbi sic inquit: *Vnum verò quisquis verissimè
cogitat, profectò inuenit, corporis sensibus non posse sen-
tiri: quidquid enim tali sensu attingitur, iam, non
vnum, sed multa esse cõuincitur:* & paulo inferius; *vbi-
cunque autem vnum nouerim, non vniue per sensum
corporis noui.* Tum sic sensus, siue sit externus, siue
internus (nullo enim vtriusque facto discrimine lo-
quitur Augustinus) nequit saltem naturaliter perci-
pere vnum: atqui vniuersale est vnum, vt vel
ipsum eius ethimon declarat: haud ergo po-
test ex natura rei percipere vniuersale, illudvè
efficere.

23 Respondeo tamen primò, sensum quandoque
supponere pro solo externo, atque ita eum accepisse
Augustinum præfato loco eius libri, quem scrip-
psit de libero arbitrio. Respondeo secundo, vnitatem
aliam esse simplicitatis, & indiuisibilitatis integra-
lis, quæ quidem est propria spirituum, & in corpora
nequit conuenire; aliam verò esse vniuersalem,
quæ partium integralium simplicitatem magis,
quam compositionem non postulat, nec magis est
corporum, quam spirituum. De hac posteriori vni-
tate, si sermonem haberet Augustinus, haud dubiè
vniuersale excluderet ab obiecto sensus cuiusuis.
Cæterum, non de ea, sed de sola illa priori locutus
fuit. Siquidem post verba primo loco allegata sta-
tim addidit; *corpus enim est & post posteriori loco
ex eo adducta adiecit illicò; quia per corporis sensus
non noui, nisi corpus, quod verè, pureque vnum non
esse conuincimus.* Quasi idcirco dixerit, haud posse
sensem vllum percipere vnum, quia non potest
ferri, nisi in id, quod suapte natura corpo-
rem est: sermonem ergo habuit de vnitare op-
posita corporalitati, adeoque non de vnitare vniuer-
sali, sed potius solius indiuisibilitatis integralis, vt
dictum est.

C A P V T II.

*De vniuersalitate, quæ est effectus voluntatis
nostræ, necnon Angelorum, ac Dei
optimi maximi.*

24 I n primis arbitror, haud esse negandum vniuer-
salitatem aliquam obiectis amatis à nostra volun-
tate tribui. Ita Hurtadus disp. 5. metaph. sect. 12. §.
146. necnon Arriaga disp. 6. log. sect. 7. tamen enim
ibidem neget à voluntate, aut etiam à sensibus fieri
vniuersale logicum, ac prædicabile, imò etiam sta-
tuat, absolute ab eis non fieri vniuersale, quia, in-
quit, *hoc iuxta communem acceptionem solum usur-
patur pro eo, quod potest predicari ab eadem potentia,
à qua effectum est, quod in aliis potentiis ab intelle-
ctu locum non habet:* Cæterum hæc ad solas spe-
ctant voces, non vero ad rem ipsam: quæ certè tenus
nobis consentit.

25 Suadetur autem assertio hunc in modum: voluntas
plura inter se confundere, & vnire potest: ergo ex
eius actu vnum multiplex, siue vniuersale reultare
poterit: antecedens probatur, quia voluntas
plura obiecta amans ea sibi vnit, & quodammodo
identificat iuxta illud Dionysij cap. 4. de diuinis no-
minibus *amor est virtus vniorem faciens*; illudque
Augustini tract. 27. in Ioann. *vt autem simus mem-
bra eius (scilicet Christi) vnitas nos compaginat: vt
compaginet vnitas, quæ facit, nisi charitas?* & tract.
2. in epist. Ioann. *talis est quisque, qualis eius dilectio
est: terram diligis, terra es: Deum diligis: quid di-
cam? Deus eris.* ergo etiam plura inter se confunde-
re, & quodammodo identificare poterit, prout ad
vniuersale oportet: sicut, quia intellectus res cogni-
tas aliqua sibi ratione vnit, & identificat, eas etiam
inter se vnire potest, atque confundere.

26 Rursus secundo suadetur eadem assertio. Volun-
tas proposita virtute, vt sic, & eius differentii, in
sola virtute simpliciter complacens rationem virtu-
tis ex parte obiecti à differentiis præscindit: vni-
tatem ergo præcisiuam obiecto tribuit, quam ad vni-
uersale sufficere plerique existimant. Præterea ter-
tio: actus intellectus non solum à veritate radicali
obiecti multiplicis veritatem formalem haurit,
quam in ipsum refundat, sed etiam ab eius vnitare
radicali vnitatem formalem, quam in illud reiciat,
vt suprà non semel edocuius: similiter ergo actus
voluntatis, non tantum bonitatem formalem à boni-
tate radicali obiecti multiplicis sumit illam red-
ditura, verum etiam ab eius vnitare radicali vni-
tatem formalem, illam postea traditura, sicut ad vni-
uersale requiritur. Quartò denique: vniuersale fit
per voces significatiuas ex instituto, vt ad initium
cap. præcedentis manet ostensum: at significatio
arbitraria, & ad placitum, vt aiunt, in voluntatis
actu, & placito aliquo consistit iuxta non paucos ex
aduersariis.

Obiicies tamen primo: voluntas amans rationem
communem virtutis eam vniuersalem per intelle-
ctum supponit: ergo illam vniuersalem non facit,
sicut Deus entia rationis non facere censetur, quo-
niam à creaturis facta supponit, & cognoscit. Res-
pondeo: quemadmodum intellectus per notitiam
comparatiuam vniuersale efficit, esto per abstracti-
uam illud factum supponat, quod idem de iudicio,
& apprehensione præuia seruata proportionem dicen-
dum est; ita similiter voluntas in præsentia &c.
Exemplum autem non vrget, quia non idcirco Deus
entia rationis, & chimerica non facit, quoniam fa-
cta supponit: tum, quia ab æterno ea facta non sup-
ponit, quando tum nullus intellectus creatus, aut
finitus est, qui ea facere possit: tum etiam, quia crea-
tura ens rationis factum sæpe reficit, vt cum appre-
hensionem alicuius chimeræ eiusdem iudicium
excipit: ideo igitur Deus entia rationis non facit,
quia ab eo factibilia non sunt, nihilque fingere, aut
communisci sustinet.

27 Obiicies secundo: voluntas dare nequit vnitatem
obiecti multiplici: illud ergo nequit vniuersale:
probatur antecedens, de quo solo potest esse dubium
conferre vnitatem obiecto multiplici, est illud per
actum aliquem representari, vt non multiplex: at
per actum voluntatis obiectum vt non multiplex
representari nequit, cum solius intellectus sit res
representare, & voluntatis amare. Verum antec-
edentis probatio, non vrget: Cur enim representari,
seu præfens fieri obiectum tanquam non multiplex
ad eius vnitatem vniuersalem conducatur, potius,
quam representari, seu præfens fieri obiecto tan-
quam